de Cler. excomm. ministran. & cap. *Pro illorum*, 91 *de præben.* & idem firmat, in d. cap. *Romana*, *num. 7. in ver. Innoxios*, & ibi etiam Lap. Gemin. & Ancharan. quos sequitur Franc. in glos. *final. in fine*, & Philipp. Prob. *num. 9.* & Felin. in cap. *Dilectæ in Christo*, *num. 1. supra de exception.*

Nec obstat si dicas cum Sylvestro *in ver. excommunicatio*, *1. n. 10* idem esse excommunicare totum Collegium, vel omnes de Collegio. Etenim hoc debet intelligi si excommunicentur omnes de Collegio simpliciter; secus si omnes de Collegio, qui fuerunt mandato rebelles, vel culpabiles, prout loquitur Host. hic enim modus multum differt ab excommunicatione simpliciter lata in Collegium. Ratio differentiæ est, quia quando excommunicantur omnes de collegio, qui fuerunt culpabiles, nullũ subest periculum ut retiendi innoxios; & sic cessat ratio prohibitionis d. §. *In Vniversitatem*.

85 Secus est quando excommunicatur ipsum Collegium, vel Vniversitas delinquens; quia stant simul, ut Collegium dicatur deliquisse, & tamen aliqui de Collegio reperiantur innoxii, ut contingit quando delinquit major pars Collegium repræsentans: Nam ipsum Collegium deliquisse dicitur, l. *Quod maior*, *ff. ad municip.* Oldrad. *consil. 315. circa istud*, *num. 4.* plenè Ancharan. *consil. 158. Ex narratu*, *num. 12. & seq.* Host. in d. cap. *Romana*, *num. 9.* & ita in excommunicatione 94 Collegii, seu Vniversitatis semper viget ratio periculi animarum in textu considerata, quæ non viget in excommunicatione omnium de Collegio

86 qui fuerunt culpabiles, alia est enim causa Capituli, alia Canonicorum, §. *Qui manumittitur*, *12. quæst. 2.* Innoc. in d. cap. *Romana*, *num. 2. in ver. Culpabiles*, & Host. *numero 11. in eodem ver.* Federic. de Sen. *cons. 15. in princip. vers. Præterea aliud*,

87 & aliud delictum Vniversitatis, vel Capituli, aliud singulorum, ut latè deducit Rota *decis. 1.* incipien. *Citatis Decano cum Capitulo*, *de dolo*, *& contumac. in antiquior.* ubi propterea resolvit Canonicos singulares citatos, etiamsi fuerint contumaces, non posse excommunicari pro Capitulo non comparente: ubi decreta fuit citatio contra Decanum, & Capitulum. Et idem dixit *decis. 315.* incipien. *Nota quòd ubi mandatur citati Decanus*, *& Capitulum*, *aliàs 1. de sentent. excommun. in antiquis.*

88 Circa secundam inspectionem, an scilicet excommunicatio in Vniversitatem lata liget, & timenda sit; si quidem feratur à Summo Pontifice, non est dubitandum, quin liget omnes de Vniversitate; quia ipse non subjacet prohibitioni juris positivi, d. c. *Roman*, §. *In Vniversitatem*, *infra eodem lib. 6.* ut latè ostensum est supra, *num. 75.*

89 *& seqq.* Quinimo hujusmodi sententiâ ligantur etiam innoxii, clarè deducitur ex littera dicti §. *In Vniversitatem*, dum prohibet excommunicari Vniversitatem, vel Collegium, ne irretiantur innoxii. Ergo circumscripta illa prohibitione,

90 cui non subjacet Romanus Pontifex, etiam innoxii, & non culpabiles per hujusmodi excommunicationem irretiuntur, intelligè, quoad Ecclesiam; secus quoad Deum, cujus judiciũ nec fallit, nec fallitur, cap. *A nobis*, *il secondo*, *supra eodem*, & ita tenet, & declarat glossa in d. §. *In Vniversitatem*, *in ver. Irretiti*, & Ioann. Andr. & Franc. uterque *num. 3. in eodem ver.* Item intellige quoad personas capaces excommunicationis: nam infantes, vel furiosi non ligantur, etiam quoad Ecclesiam. Nec mirum, quia excommunicari quis non potest, nisi pro gravi contumacia & culpa mortali, cap. *Nemo*, *11. quæst. 3.* sed tales non possunt delinquere, nec mortaliter peccare, ut in cap. *1. & 2 supra de dilect. puerorum.* Ergo nec ligari excommunicationis sententia, ita Marian.

92 Socin. in cap. *Mulieres*, *num. 41. supra eodem* Ecclesia enim non potest per excommunicationem excludere à regno Dei, nisi indignos, qui per peccatum mortale charitatem amiserint, ut per Div. Thomam *in 4. distinct. 18. quæst. 2. articulo 1. quæst 3.*

93 Sin autem excommunicatio in Vniversitatem feratur ab inferioribus à Papa, duæ sunt opiniones. Prima est Host. Ioan. Mon. Archid. & Fran. quorum meminit glos. in d. cap. *Romana*, §. *In Vniversitatem*: *in ver. Penitus*, *infra eodem lib. 6.* existimantium sententiam non tenere, & idem Archid. in cap. *Sicut*, *in glossa 2. 7. quæst. 1.* Philipp. Franc. in d. §. *In Vniversitatem*, *numero 2* & Philipp. Prob. *in addit. Monach. numero 12.* Felin. in cap. *Dilectæ in Christo*, *numero 6. supra*, *de except.* ubi etiam allegat Richard. *in 4. distinct. 18. quæst. 5. artic. 3.* & Rotam *decis. 1. de dolo*, *& contumac. in antiquioribus*, quam retuli suprà, *num. 87.*

Fundatur principaliter hæc opinio in verbis d. §. *In Vniversitatem*, ibi, *penitus prohibemus*, quæ dicuntur potestatis privativa, ut notat Ioan. Andr. in cap *Vnico*, *numero 2. de postul. Prælat. lib. 6.* ibi, *penitus*, ac si dicat ipso jure, & sine exceptionis ope; ideoque hujusmodi excommunicationis sententia dicitur ipso jure nulla, tanquã à non suo judice lata, cap. *At si Clerici*, *supra de iudic.* cum similibus, & ita Host. in d. cap. *Romana*, *num. 4.* exponit verbum, *penitus prohibemus*, quasi dicat, in hac parte potestatem omnino subtrahimus. Et sic in hoc casu de cætero lata sententia nulla erit, arg. cap. *1. de verborum significat. lib. 6.* & idem dixit Ioan. Monac. & alii præallegati. Secus si diceretur proferre non præsumat, in quibus terminis secundum Hostien. loquitur textus in cap. *Romana*, §. *Officiales*, *de offic. Ordin. lib. 6.*

Præterea, ut post Ioann. Andr. advertit Franc. in d. §. *Vniversitatem*, *numero 3. versic. Et ex istis verbis liquet*, ibi, *est fortior prohibitio*, *quàm in d. §. Officiales*, cùm illic sit vera persona, & etiam materia capax, & apta ad recipiendum hanc pœnam, licèt modus non sit aptus. At secus est in Vniversitate, ut mox dicitur. Deinde pro nullitate sententiæ adducitur ponderatio, de qua supra *num 64* quia Vniversitas non est materia capax impressionis excommunicationis, cum sit persona ficta, & intellectualis sine anima, & baptismo.

95 Nec dicatur: Excommunicatio lata in Vniversitatem referenda est ad singulos de Vniversitate; siquidem si hoc esset, sequeretur absurdum, ut etiam puer unius diei, & absentes ligarentur, ut in d. cap. *Romana*, considerant Innocent. *num. 1.*

96 *in ver. In Vniversitatem*, Host. *num. 8.* Ioan. Mon. *num. 10.* & Ioann. Andr. *num. in fine.* Item secundum glos. in cap. *Sicut vir*, *7. quæst. 1.* hinc sequeretur aliud absurdum; nam mortuis omnibus de

de Capitulo excommunicato & aliis substitutis est idem Capitulum, ut l. *Sicut*, § *final. ff. quod cuiusque Universf. nom.* Ergo adhuc esset excommunicatum, si priores Canonici non fuissent absoluti. Quod an sit verum quærit Bart. in l. *Inter stipulantem*, §. *Sacram*, *in fin. ff. de verborum oblig.* & in l. *Quod in rerum*, §. *final. de legat. 1.* nihil tamen decidit, sed remittit ad Canonistas in cap. *Adversus*, *supra de immun. Eccles.* & Innoc. in cap. *Gravem*, *supra eodem*, quos videas, & glos. in cap. *Si habes*, *24. quæst. 3.* & quod notatur in cap. *Si sententia*, *eodem tit. in 6.* & Marian. Socin. in cap. *Nulli*, *in 7. principali articulo*, *q. 3. supra eodem.*

97 Et confirmatur ex motivo Salicet. in cõs. Schismatis edito per Vrbanum VI. incipien *Factum aliàs de curia Romæ transmissum*, *in 23. col.* relati 102 à Felin in cap. *Dilectæ numero 1. col. 2. vers. Et illum paragraphum*, *supra de exception:* videlicet præsupposito genere non deducibili incapaci in sua generalitate, non sit distributio, vel diffusio in ejus species, ut illæ intelligantur per se deductæ; unde excommunicata Vniversitate, & sic genere incapaci, non sunt excommunicati singuli, licèt excommunicabiles

Ac postremò si teneret excommunicatio, non esset provisum periculo animarum, cui obviare voluit text. in d. §. *In universitatem*, ut considerant Richard. de Media villa, & Felin. *locis citatis.*

98 Addit Francisc. Bottinus in d. cap. *Romana*, relatus ibi à Ioan. Andr. *num. 7. vers. Et idem Franciscus*, hoc esse privilegium Vniversitatis, contra quod sententia lata non tenet, ut in cap. *Quia cupitis*, *de concess. præben. lib. 6.* & in cap. *Volentes*, *de privileg. eodem lib.* & sequitur Philipp. Franc. *in d. §. In Vniversitatem*, *num. 2.*

99 Non obstat illud generale; *Si non valet ut agat, valeat ut valere potest*, de quo in cap. *unic. de desponf. impuber. lib. 6.* quoniam intelligi debet nisi sequatur inconveniens, ut ibi Hoc autem etiamsi per talem sententiam ligarentur singuli de Vniversitate, contingerit unius dici puerum vel absentem ligari, quod esset absurdum, ut dictum est supra proximè, *num. 95.* unde agere in singulis in hoc casu non est posse, cùm potentia sit de genere bonorum secundum Philosophum. Et propterea illud possumus, quod commodè possumus, l. *Nepos Proculo*, *ff. de verborum significationibus*, Et quod de jure possumus, cap. *Nisi cum pridem*, §. *Personæ verò*, & ibi glos. *in ver. Non oportuerit*, *supra de renunciat.* cum concordant, de quibus 103 per Prob. in d. cap. *Romana numero 10. in fine*: *in ver. Bonorum & numero seqq.* Et ita ad hanc objectionem respondent ibi Ioan. Monach. & Ioan. Andr. *num. 9. in fine*, *vers. Nam si referatur*, & Franc. *in §. In Vniversitatem*, *numero 3. vers. Nec obstat si diceretur.*

100 Item non obstat quod etiam sine culpa ligari quis possit sententia excommunicationis, ut videtur deduci ex d. §. *In Vniversitatem*, *in ver. Innoxios*, eo quod sententia Pastoris sive justa sit, sive injusta, semper timenda est, cap. *1. & §. Cum*

101 *ergo*, *11. quæst 3.* Etenim ut respondet Archid. in d. cap. *Romana*, *num. 6.* hoc verum est quando lata est per Pastorem, & Iudicem ordinarium, & in talem, qui etiam si sit sine culpa, tamen culpam committere potuit pro qua excommunicatus est, sicut si esset doli capax; verùm si nec culpam commisit, nec committere potuit, ut infans; tunc non ligat, nec timeri debet. Sicut in simili si excommunicetur notorie eunuchus eo quod ex Moniali filium generaverit prætextu talis excommunicationis vitari non debet, licèt in sententia expressum non fuerit eum esse eunuchum, cum culpam pro qua fuit excommunicatus, nec commiserit, nec committere potuerit, secundum Archidiac.

Si autem excomunicatio in Vniversitatem promulgata referenda esset ad singulos, ligaret etiã infantes, quod est absurdum, & consequenter qui excommunicat Vniversitatem non intendit irretire singulos, sed corpus ipsum Vniversitatis, quod est impossibile, cum sit sine anima, & baptismo, ut ex dictis patet.

Contrariam opinionem, idest sententiam excommunicationis latam in Vniversitatem esse validam, & ligare singulos de Vniversitate doli capaces, tenet Bernard. & post eum gloss. in d. cap. *Romana*, §. *in Vniversitatem* in ver. *Penitus*, *hoc titulo lib. 6.* & sequuntur ibi antiqui teste Felino in cap. *Dilectæ in Christo numero 6. supra de exception.* Idem tenet Anton. de Butr. in cap. *Vnico*, *numero 6. supra de litis contestat.* ubi ait: Olim excommunicabatur Capitulum, hodie standum cõtrario, ut in d. §. *In Vniversitatem*, si tamen feratur; excommunicatio etiam hodie tenet, ut hic. Petr. de Anchar. in d. cap. *Romana*, *num. 4. in ver. Prohibemus*, ubi dicit eo verbo non obstante sententiam latam tenere, licèt sit injusta. Et idem secundum eum tenet Lab. Abb. Et propterea in simili sententia excommunicationis lata contra Constitutionem, cap. *Sacro*, *supra eodem*. & cap. *Cum medicinalis*, *eodem tit. lib. 6.* non est nulla secundum Bernard. Hostien. & alios, dummodo feratur ab Ordinario, ut in d. §. *In Vniversitatem*, & in cap. *Sententia Pastoru*, & ibi per Archidiac. *in ver. De hoc 11. quæst. 3.* Secus si feratur à Delegato, quia tunc est nulla secundum Ancharan. qui de hoc remittit ad notata per Archid. in cap *Cum in illa*, *de præbend. lib. 6.* & in cap. *1. de offic. delegat. eodem lib* subdens hæc esse verba ipsius. Et ejusdem sententiæ videtur esse Innocen. in c. *Capitulum*, *numero 1. in ver. Appellationem*, ubi tenet in casu illo sententiam excommunicationis latam in Capitulum non solum fuisse validam, sed etiam justam. Et hanc partem tanquam tutiorem amplectitur etiam Dominus meus Ioan. Franciscus Fagnanus *in eodem libello de Instit. & validit. censur. Pauli V. par. 5. de censur. fol. 137.*

Doctores pro hac sententia nihil adducunt, sed simpliciter dicunt illam esse tutiorem, Probari tamen potest hoc præcipuo fundamento: nam etsi actus gestus contra prohibitionem legis sit ipso jure nullus, etiamsi lex ulterius non procedat ad imitationem actus, ut l. *Non dubium*, & ibi not. Bart. Bald. & Legistæ, *C. de legibus*, quæ est canonizata in cap *Imperiali*, *25 quæst. 2.* tamen hoc habet locum dum taxat si eodem contextu lex tribuat potestatem faciendi actum illum, & præscribat conditiones, & modificationes prohibẽdo ne aliter fiat; tunc enim recipitur potestas qualificata, seu modificata; & ideò actus non servatis modis præscriptis à lege, redditur nullus ex defectu potestatis. Secus verò si lex conditiones præscribat, & prohibitionem facit ei, qui prius potestatem, vel jurisdictionem habebat, quia tunc actus

contra legis prohibitionem gestus sustinetur in vim potestatis præexistentis, licèt transgrediens sit puniendus, & sententia est injusta, sed non est nulla. Hæc est singularis theorica glossæ in Clem. *1. in ver. Inhibentes. vers. Sed quæro*, *de inrepat.* quam sequitur Petr. de Anchar. in cap. *Statutum* §. *fin. vers. Adverte, de rescript. in 6.* Abb. in cap. *Ex parte, num. 5. supra de Constitut.* Roman. *cons. 203. Quoad primum, num. 7.* sed Episcopi, & locorum Ordinarii ante prohibitionem Innocentii in d. cap. *Romana* habebant potestatem excommunicandi Vniversitatem, vel collegium, ut probatum est supra *n. 32.* exgo excommunicatio lata in Vniversitatem cõtra prædictam prohibitionem non est nulla, licèt sit injusta. Et hanc differentiam post Archiid. optimè agnovit Petr. de Ancharan in d. cap. *Romana, num 4. in ver. Prohibemus*, dum dixit excommunicationem tenere non obstante prohibitione illius textus, si lata fuerit ab Ordinario, & Pastore, Nimirum quia facultas excommunicandi, quampriusha bebat non fuit ei per illam prohibtionem adempta; secus verò si feratur à delegato, qui eodem contextu accipit jurisdictionem restrictam, & modificatam ad terminos ejusdem prohibitonis.

104 Et hanc partem arbitor esse amplectendam, quia cùm in hoc articulo adsint utrinque gravium Canonistarum auctoritates, & rationes suasibiles; atque ita versemur in concursu duarum opinionum probabilium: ex præcepto eligenda est opinio tutior, propter periculum animæ, ut latissimè probavi in cap. *Ne innitaris, supra de Constitut.* & in materia excommunicationis docet Sanctus Thom. *quodlib. 4. art 14.*

105 Non obstat quod verba illa, *penitus prohibemus*, quæ habentur in d. §. *in Vniversitatem*, sint potestatis ablativa: siquidem nullibi hoc jure probatur, sed tantummodo fuit intellectus Hostiensis, & sequacium, contra quos stat auctoritas glossæ, & & aliorum, retulimus supra *num. 102.* dum enim tenent sententiam excommunicationis latam in Vniversitatem valere, non obstante prohibitione illius textus; in necessariam cõsequentiam tenent per illa verba non esse adempram excommunicãdi potestatem; aliàs enim sententia esset nulla ex defectu potestatis ut in cap. *At si Clerici de iudic* & in l. *ult. C. si à non compet. iud.* cum multis simil.

106 Non obstat quod Vniversitas tamquam persona ficta sine anima, & Baptismo non sit materia capax excommunicationis: nam hoc procedit si Vniversitas accipiatur in abstracto, præscindendo à singularibus hominibus: secus verò si accipiatur pro singularibus personis omnibus collectivè, ut distinximus supra *nu. 60.* Hoc enim modo sumpta Vniversitas nihil aliud est, quàm singuli homines, qui sunt ibi, ut inquit Petr de Anchar. *cons. 158. Ex narratu, num. 22. ad fin* post glos. in l. *Sicut*, §. *Si quid, in ver. Non debetur, ff. Quod cuiusque Vniverf. nomine*, & not Bart. in l. *Aut facta*, §. *Nonnunquam, num. 3. ff. de pœn.* dicens hoc tenere omnes Philosophos, & Canonistas, qui tenent totum realiter non differre à suis partibus, & subdit eos verum dicere, si loquamur realiter, verè, & propriè, licèt secus sit secundum fictionem juris.

107 Unde egregiè Imol. in cap. *Capitulum penult. col. de rescript.* dicit valere excommunicationem, si constet excommunicantem utentem verbo collectivo vel excommunicare singulos, ut res potius valeat, quam pereat, cap. *Abbate inf. de verb. significat.* & sequitur Felin in cap. *Dilectæ in Christo, num 1. col. 2. vers. Dixit etiam egregiè Imola, supra de exception.*

108 Quinimò id constanter tenendum videtur: nam ridiculum esset, ut judex intenderet sententiâ excommunicationis ligare corpus ilud phantasticũ, seu imaginarium; quod est nomen juris in abstracto, sicut homo in communi non capax parentelæ ut inquit Feder. de Sen. *cons. 15. Quæstio talis, in princip.* hoc enim modo posset excommunicari etiam Chimæra, & Hippocentaurus: quotiescumque autem aliquis actus fit contra Vniversitatem, qui non potest applicari Vniversitati, ut est excõmunicatio, quæ non afficit nisi animam baptizatam; tunc applicatur singulis personis, cap. *Si sententia, in fine, de sencen. excomm. lib. 6.* Federic. de Sen *d. cons. 15. num. 4 vers. Nam quando.* Et hoc intendit Hostien. in cap *Significaverunt, in ver. Contra Capitulum, num. 1. & 2. supra de exception.* dum dixit impossibile juris esse ut Capitulum, & Vniversitas excommunicetur, nisi intellegatur Capitulum, idest singuli de Capitulo, facit textus optimus juncta glos. in cap. *Præsentium de testib.* nam cum textus ibi dicat juramentum esse recipiendum in animas Conventuum, glossa exponit illud verbum, *Conventum*, idest singulorum de Conventu; quia, inquit, Conventus, sicut Vniversitas non habet animam.

109 Nec urget replicatio, de qua supra *n. 95.* quod si sententia excommunicationis lata in Vniversitatem referenda esset ad singulos de Vniversitate, sequeretur inconveniens ut tali sententia ligaretur etiam puer unius diei; quoniam negatur hæc consequentia: nam etsi possibile sit ut tali sententia irretiantur innoxii, ut probat litera d. cap *Romana*, §. *In Vniversitatem, infra eodem. lib. 6.* nihilominus hoc intelligi debet de his tantùm, qui quamvis sint sine culpa, tamen culpam committere possunt; & ita procedit ille textus, dum dicit, *quia nonnunquam contingeret, &c.* non autem de his, qui nec sunt, nec possunt esse culpabiles, ut declarat Archid. in d. cap. *Romana, num. 6* & dictum est supra *num. 101.* & probatur apertissimè: nam excõmunicatio si feratur in singulos de Vniversitate, valida est secundum omnes hic, & in d. cap. *Romana*, & tamen non ligat infantes. Item tenet excommunicatio lata à Summo Pontifice in Vniversitatem, ut fusè probatum est supra *num. 75. & 88.* & tamen per eam non ligantur qui doli non sunt capaces, ut dixi *num 91* ergo non est bona cõsequentia, excommunicans Vniversitatem intendit excommunicare singulos de Vniversitate, & sic ligat singulos: ergo ligat etiam puerum unius

110 diei, quia dispositio quantumcumque generalis semper recipit sanum intellectum ut restringatur ad personas habiles, & capaces, cap. *unic. de atat. & qualit. lib.* Dec. in cap. *Cum omnes in 2. lect. n. 2. sup. de Constit.* Ias. in l. 2. §. *Præter, num 3 ff qui satisd. cogan.* Item restringi debet ad id quod est possibile, arg. cap. *Erit autem lax 4. dist.* at non est possibile ut infans unius diei anathemate innodetur, ut ostensum est supra eod. *num. 91.*

111 Non obstat motivum Saliceti, de quo supra *n. 97.* nam responsio paret ex dictis *num 73. & 108* ubi ostensum est in materia, cujus corpus non est capax, fieri distributionem in singulis; & ita corruit

illius

illius motivum: & contra eum videtur text. apertus in cap: *Si sententia*, in fine ponderatus ut supra *n. 71.*

112 Non obstat consideratio Richardi de Media Villa, quod aliàs non esset consultum periculo animarum: etenim eadem objectio fieri posset in qualibet sententia excommunicationis injusta: quæ prohibetur ferri propter animarum periculum, & tamen lata ab Ordinario, & Pastore tenet, ut in cap. *Sententia Pastoru*, & ibi per Archid. *in ver. de hoc, 11. qu. 3.* & in specie in cap. *Romana*, §. *Officiales, de offic. Ordin. lib. 6.* Archiepiscopo existente in provincia, vel circa illam, ejus officiales prohibentur ferre excommunicationis sentẽtiam in Suffraganeos; & tamen lata tenet secundum Bernar. ibi in glo. *in ver. Non attentent*, quam sequuntur Doctores ibi, & *his* Host *num. 4. in ver. penitus*, & alii communiter. Et est ratio secundum glos. quia quamvis sufficiat legislatorem aliquid prohibuisse, etiamsi non adjiciat actum fore nullum, ut l. *Non dubium*, C. *de legib.* tamen speciale est in sententia excommunicationis, ut injustè lata liget, cap. *1. 11. quæst. 3.* cap. *Sacro, infra eod.* & docet S. Thomas *in 4. distinct. 18. q. 2. art. 1. quæst. 4.*

113 Vnde Sacra Congregatio Concilii consulta an excommunicationes latæ ab Episcopo non servata forma Concilii cap. *3. sess. 25.* sint ipso jure nullæ, vel annullandæ; respondit esse validas, & excommunicatũ indigere absolutione, per ea, quæ tradit Abb. post glos. in cap. *1. de excess. Prælator.* & Felin. in cap. *Rodulphus, nu. 76. de rescript* videlicet excommunicationem latam sine citatione, & monitione, vel juris ordine non servato tenere, quamvis injusta sit, licèt Sacra Congregatio noluerit ut darent litteræ publicæ, sed ut Cardinalis Alciatus privatis litteris scriberet ad Episcopum valere excommunicationem, sed illum seriò moneret ut in posterum omni diligentia servaret formam Concilii.

114 Nec est novum in jure, ut propter animarum periculum aliquid prohibeatur; & tamen si contra fiat, teneat, ut in cap. *Nos novimus, 17. qu. 2.* in cap. *Si vir, 27. dist.* & in cap. *Ad Apostolicam, supra de regular.* Nec tamen propterea Innocentiana prohibitio erit inanis: quia Ordinarii cum majori circumspectione, & rariùs procedent ad sententiam excommunicationis contra Vniversitatem: nam contra facientes puniri poterunt tamquam illius Canonis violatores, ut dicitur in d. §. *Officiales*, & ibi not. glos. præalleg.

115 Dèmum ad motivum Francisci Boattini, de quo supra *num. 98.* responderi potest prohibitionem *d.* §. *In Vniversitatem*, non fuisse editam in favorem Vniversitatis, sed ob specialem rationem periculi animarum, ne irretiantur innoxii, nec ibi legitur verbum, *concedimus*, seu *indulgemus*, vel aliud simile, ex quo deprehendi possit Papam voluisse privilegiare Vniversitatem, ad notata in c. *Porrò, supra de privileg.* & in c. *Si Papa, eod. tit. lib. 6.* Deinde destruitur hoc motivum per textum in d. §. *Officiales*: nam ibi magis videtur concessum Episcopis Suffraganeis in privilegium, ut excommunicari nequeant ab Officialibus Archiepiscopi; 10 quia in textu exprimitur ratio concernens favo- 11 rem eorumdem Suffraganeorum, videlicet ob reverentiam Pontificialis officii; & tamen sententia excommunicationis ab Officialibus contra tenorem dictæ concessionis valida est, ut dictum est supra proximè: ergo multo magis valere debet sententia lata contra prohibitionem d §. *In Vniversitatem*, in qua exprimitur alia ratio non cernens favorem Vniversitatis.

Concludit ergo excommunicationem latam in Vniversitatem, vel Collegium ligare. & timendã esse, dummodo lata fuerit ab Ordinario, & Pastore, secus si à Delegato per ea, quæ dicta sunt supra *num. 103.*

De Sentent. excom.

Cap. Inquisitioni.

INQVISITIONI. Si conjux scit pro certo impedimentum matrimonii, non debet reddere debitum, sed potius excommunicationem pati, reddit autem, sed non exigit, si credit ex causa probabili, & discretam, sed si ex levi, & temeraria, reddit, & exigit. Hoc dicit 56 secundum Io. Andr. & communiter Doctores. Et primò ad casum, de quo quæritur, distinguit: & primum membrum prosequitur ibi, *in primo.* Circa secundum subdistinguit ibi, *in secundo*: & tertium subdistinctionis membrum prosequitur ibi, 57 *Verum eam.*

Nota ex hac Decretali differentiam inter fidem, seu plenam credulitatem, & opinionem, & scrupulum: & pro intelligentia horum terminorum, & textus vide quod plenè scripsi in repetitione cap. *Ne innitaris, à num. 240. usque ad num. 262. sup. de Constit.*

De Sent. excomm.

Cap. Sacro. 58

SVMMARIVM.

1 *Prælatus excommunicare non debet nisi monitione præmissa, & ex manifesta, & rationabili causa, & n. 4.*

2 *Subditus qui falsò conqueritur se excommunicatum iniustè, punitur.*

3 *Excommunicatio dicitur iniusta ex causa, ex animo, & ex ordine, & nu. seqq.*

5 *Excommunicatio fertur propter contumaciæ perseverantiam, & n. 12. & n. 22 & n. 29.*

6 *Excommunicatio ferri non debet nisi trina monitione præmissa: vel una pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, n. 16.*

Et quid post Concilium Trident. n. 19.

7 *Prælatus excommunicans unica monitione præmissa, non incidit in pœnam huius Decretalis*

8 *Monitio ex causa est arbitraria, & potest omitti quando est periculum in mora.*

9 *Monitio debet præmitti quando excommunicatio fertur pro culpis præteritis, secus si pro futuris.*

10 *Monitio non requiritur si excessus sit notorius.*

11 *Contrarium.*

12 *Declaratur.*

13 *Monitio non est necessaria si excommunicatio feratur ad defensionem sui juris.*

14 Prælatus Regularis si excommunicet Monachum non præmissa monitione, & non in scriptis, an incidat in pœnam interdicti per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & num. seq.

15 Regulares excusantur ab apicibus iuris quoad extenuandam delicti gravitatem, non quoad excludendum delictum in totum.

17 Excommunicatio non præmissa monitione est iniusta, sed non est nulla, nisi feratur in participantes, & num. 24. & 26.

18 Excommunicatio ex Concilio Tridentino non fertur nisi in subsidium, idest ubi executio realis, vel personalis in causis tam civilibus, quam criminalibus fieri non potest, & num. 25 & 35.

Si tamen feratur ea forma non servata est valida, & excommunicatus indiget absolutione, n. 26.

20 Monitio ex Concilio Tridentino potest fieri etiam per edictum, sed de iure communi fieri debet personaliter.

21 Fallit quatuor casibus hic positis.

23 Excommunicationis pœna nulla est maior in Ecclesia.

24 Separat à Corpore Christi, & non infligitur nisi pro culpa mortali cum contumacia, & num. 29.

27 Excommunicationis materia, & illius cognitio spectat ad iudicem Ecclesiasticum tantùm, & num. seqq. usque ad num. 34.

28 Eius usus fuit in Ecclesia etiam temporibus Apostolorum.

30 Iudici sæculari nefas est prohibere iudici Ecclesiastico ne quem excommunicet, vel mandare, ut latam excommunicationem revocet.

Nefas, idest impium, & execrabile, ibidem.

31 Parlamenti Dolensis edictum circa censuras à iudicibus Ecclesiasticis latas improbatur, & numero seqq.

32 Excommunicatio ubi minus ritè, rectève lata fuit, ad solum Superiorem Ecclesiasticum spectat errorem corrigere.

33 Episcopi, & Prælati sunt executores decretorum Concilij; Principes verò tantùm sunt moniti, ut ad ea exequenda Prælatis auxilium præstent.

34 Iudex si velit excommunicare contumaces an sit necesse, ut constet in actu executionem realem, vel personalem fieri non posse, & num. seqq. usque ad num. 41.

35 Remedia severiora non sunt adhibenda, ubi leviora sufficiunt.

36 Index debet iudicare secundum acta, & probata.

37 Notorium iudici ut iudici ex actis constare debet esse tale.

38 Principis assertionibus ob rebellionem publicantur non statur, nisi de rebellione constet.

39 Excommunicationes ad finem revelationis relinquuntur arbitrio iudicis.

40 Auditoris Cameræ stylus in censuris decernendis, & numero 55.

41 Censuræ an possint relaxari contra unum ex duobus reis insolidum obligatis in forma Cameræ, si contra alium tamen potest fieri executio realis, vel personalis, & n. seqq. usq. ad n. 54.

Et quid si ex instrumento obligationis; vel ex actu iudiciario susceptionis censurarum tam legitimè fuerit irrogata excommunicatio, & sic agatur de declaratione excommunicationis iam incursæ, n. 54. 55. & 56.

42 Obligationis Cameralis practica antiqua hic relata, fuit abolita post Concilium Tridentinum, & reformationem Pij V.

43 Pensionarij declarari possunt excommunicati etiamsi contra eos executio realis vel personalis fieri possit, & num. 56.

44 Censura secundum stylum hodiernum obligationis Cameralis non sunt relaxanda contra eos, si fieri possit executio realis, vel personalis.

45 Pronomen ipsum, est personalissimum, & demonstrativum ad oculum.

46 Reis duobus insolidum obligatis, creditor à quo maluerit potest debitum exigere.

47 Nec conventus potest opponere exceptionem discussionis, ut correus conveniatur.

Declaratur num. 53.

48 Ordinario remedio quandiu locus esse potest, non est confugiendum ad extraordinarium.

49 Fideiussor excutiendus est prius quàm deveniatur ad carcerationem principalis.

50 Confideiussoris facultates aggregatæ censentur, cum quæritur, an solvendo sit principalis fideiussor.

51 Excommunicationis ferendæ causa in obligatos in forma Cameræ est contumacia.

52 Iudex suum non tuum tibi deneget auxilium.

53 Iudex supplet ex officio, ubi vertitur periculum animarum.

55 Excommunicationis gladius ex Concilio Tridentino in subsidium est adhibendus, ubi agitur de excommunicatione ferenda; non autem ubi agitur de declaratione excommunicationis iam incursæ.

56 Tridentinum Concilium cap. 3. vers. In causis sess. 25. non habet locum in pensionariis vigore litterarum, quibus cavetur, ut lapso termino sententiam excommunicationis incurrant.

57 Incurrat verbum, importat excommunicationem ipso iure.

58 Monitoria ad finem revelationis quoad subditos Abbatis iurisdictionem quasi Episcopalem habentis petenda sunt à Sede Apostolica.

59 Et quid si Abbas habeat dictâ Iurisdictionem in una parte Diœcesis, sed appellationes ab ipso ad Episcopum interponantur, & n. seqq. usque in fin.

60 Prælati inferiores habent iurisdictionem in certa parte Diœcesis duplici modo.

61 Iisque negligentibus an succedat in eorum iurisdictionem Papa, an Episcopus.

62 Papa est Iudex ordinarius exemptorum.

63 Prælatus inferior quomodo possit præscribere iura Episcopalia in aliqua parte Diœcesis.

64 Appellatio ab inferiori Prælato ad Episcopum est effectus iurisdictionis habitualis apud Episcopum remanentis.

1 SACRO. Prælatus excommunicare non debet nisi monitione præmissa, & ex manifesta, & rationabili causa, & contra facienti pœna imponitur; secundò punit subditum, qui falsò conqueritur se excomunicatum injustè. Tertiò dicit quid juris si Prælatus dicens se errasse vult excommunicatum absolvere, & adversarius appellat. Secunda ibi *rerum*. Tertia ibi *si verò*. Io. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. Felin. & Mar. Soccin.

3 Nota ex hoc textu sententiam excommunicationis dici injustam tribus modis, de quibus plenè habetur in cap. *Episcopus*, §. *Si ergo*, & cap. *Non debet* §. *Cum ergo*, *11. quæst. 3.* & in cap. *Cum medicinalis*, *infr. eod. lib. 6.* & hic notat glos. 3 Host. *num. 3.*

num. 3. Io. Andr. *num. 14* Butr. *n. 18.* & alii communiter. Roman *cons. 368. circa Primum*, *numero 13. vers. Quod autem*, Primò enim dicitur injusta excausa, idest quando non subest legitima, aut vera, ut patet in tex. ibi: *absque manifesta*, & *rationabili causa*, & latius dicam infra *num. 5. 12 & 22.* secundò ex animo, scilicet, quando fertur potius ad vindictam, quam ad correctionem: nam quod severiùs castigare necesse est non plectatur sæventis animo, sed medentis, cap. *Odio 86. dist.* tertiò ex ordine, scilicet quando competens monitio non
4 præcessit, ut in littera, & notant omnes in summ. tex. sicut enim citatio prærequiritur ad alias sententias, ita etiam monitio ad sententiam excom-
5 municationis, quia excommunicatio fertur propter contumaciæ perseverantiam, cap. *Nemo*, *11 secondo*, *11. quæst. 3* & ibi Præpos. *numero 3. vers. Item nota*, quod nemo, Abb. *supra in hac rubrica, num 1* Felin. *hic num. 7.* unde monitio requiritur, vt à contumacia desistat ut bene hic per Butrium *num. 2.* Dicitur autem monitio competens,
6 id est trina, cap. *de illicita, 24. quæst. 3.* & cap. *Contingit*, *11 secondo*, *supra eodem*, cum concord. ibi positis in glos. *in verb. Tertiò*, & hic notant glos. *1.* Host. *in princip. in verb. Nisi competenti*, Butr *numero 20.* Si tamen Prælatus excommuni-
7 caret subditum unica tantùm monitione præmissa non incurreret pœnam hujus Decretalis, & quandoque expedit, ita fieri secundum Innocent. *hic, numero 1. in verb. Admonitione*, arg. cap. *Tua*, *supra ut lit. non contest*, & cap. *1. in fin. 4. quæst. 5.*
8 Quinimo ex causa monitio arbitraria est: quid enim si paratæ sint partes ad arma, & ad monitionem Episcopi supervenientis noluntà pugna desistere; & ideo ad ipsos refrænandos statim excomunicat omnes pugnantes: utique ab omni pœna excusabitur arg. l. *æquissimum*, *ff. de usufruct.* cap. *1. supra*, *de tregu. & pac.* cap. *Si quis contristatus*, & cap. *seqq. 90 distinct.* & notatur in cap. *Statuimus*, §. *1. de offic. delegat lib. 6.* & hic firmat Host. *in princip. versic. Vel ex causa arbitraria*, subdens & alia multa posse afferri exempla in quibus una monitio sufficit: plerumque enimnee tempus, nec locus patitur pleniùs deliberandi consilium, l. *1. resp. 1. ff. de exercit. act. & ff. de damn. infect.* & propterea hæc decretalis cautè non dixit trina, sed competenti, quasi dicat arbitraria, arg. cap. *fin. supr. de transact.* Et cum Host. concord. Fel. *hic num. 4.* ubi aliis relatis concludit Prælatum posse excommunicare non præmissa monitione, quando periculum est in mora. Et sit prima declaratio ad regulâ hujus Decretalis.

9 Declaratur secundò, ut locum habeat si excommunicatio feratur pro culpis præteritis: secus verò si pro culpis futuris, quia tunc nulla requiritur monitio, ut *hic* declarant Innoc. *num 1.* Host. *eod. num.* qui ad hoc allegat cap. fin. in fin. suprà de locat. Io. Andr. *num. 2.* & Felin. *num. 5.* plenè Lapus *alleg. 73. Prælatus Regularis num. 1. & 2.*

10 Declaratur tertiò, ut non procedat si excessus sit notorius, quia tunc nulla requiritur monitio, Ita post. Innocent. Host Butr. & DD. concludit Felin *hic n. 3. in 1. limitation.*

11 Sed oppositum ex idametro determinat idem Innoc. *hic num. 1.* dicens monitonem esse necessariam etiam in notoriis, & in omnibus præteritis. Et eum totidem verbis sequuntur Host. *numero 1.* Io Andr. *num 2.* Archid. in cap. *indignè*, *numero 2.* *12. quæst. 2.* & notat glos. 1. in cap. *Ecce 24 quæst. 3.* ubi ait esse ibi argumentum quod monitio requiritur etiam in notoriis. Item glos. in cap. *De illicita in verb. Manifestorum eadem caus. & quæstione.* ubi similiter ait esse ibi argumentũ quod in manifestis criminibus præcedit admonitio, Feder de Senis *cons. 11.* Incip. *Quæritur an excommunicatio n. 10. vers. Quod quartò*, dicens quantumcunque delictum sit notorium, nunquam posse aliquem propter hoc excommunicari justè, nisi primò moneatur, ut satisfaciat.

12 Pro concordia, dicas hanc ultimam opinionẽ Innoc. & sequacium procedere ubi solum delictũ est notorium, sed non constat de contumacia: cũ enim excommunicatio ab homine feratur tantũmodo contra perseverantem in contumacia, ut constat ex dictis sup. *n. 5.* semper requiritur admonitio, ut à contumacia desistat, quantumcunq; delictum sit notorium, ut probatur in d. c. *De illicita, 24. q. 3.* ubi delictum supponitur manifestũ, & tamen requiritur trina monitio, vel una pro omnibus peremptoria, ut si parere noluerit adversus eum quasi in contumacem judicari possit, ut dicicitur in littera, ut notat glos. in c. *Cum medicinalis in verb. Causam, infra eod. lib 6.* & sic ponderatur cõtumacia, quæ surgit post monitionem, licèt delictum sit manifestum. Prima autem opinio locum habet quando ipsa contumacia est notoria, tunc enim supervacua est admonitio c. *Venerabilibus*, §. *Porrò*, ibi (Secus autem si se contumacem confiteatur, vel aliàs de sua contumacia constet) *de sent. excom. lib. 6.* & hic junge quæ scripsi in c. *Cum ex iniunctio n. 43. cum quatuor seqq. supra de nov. oper. nunciat.* & ad præscripta vide Aretinum *cons. 163. n num. 9. vers. Et tamen in non obstantibus.*

13 Declaratur quartò nisi excommunicatio feratur ad sui juris defensionem, quia tunc Prælatus potest vim propulsare, & jus suũ tueri armis spiritualibus, ut cap *Dilecto*, *infra eod. lib. 6* nec ulla requiritur causæ cognitio, aut monitio, quia non procedit ut judex sed ut pars. Ita Innoc. in cap *Venerabili*, *num. 4. vers. Quia illa habent*, & ibi etiam Butr. *num. 10. vers. Quarto supra de censib.* quos sequitur Felin. *hic num. 6.* Lap. *d. alleg. 73 num 3* dixi plenè in cap. *Procurationes à n. 27.* & præsertim *num. 5. de censib.*

14 Declaratur quintò in Prælato Regulari, quia si monachum excommunicat non præmissa monitione, & non in scriptis non incidit in pœnam interdicti per mensem ab ingressu Ecclesiæ, de qua in hoc cap, *Vt concludit*, Felin *hic num. 7.* allegando tex. in c. *1. de sent. excomm. lib. 6.* & Lap. *d. alleg. 73.* ubi plenè.

15 Sed contrarium tenet Idem Lap. *alleg 13* incip. *Hic concludit*, ubi firmat Prælatum religiosum, qui excommunicavit monitione non præmissa, non excusari ab errore juris, neque ab irregularitate, si sic suspensus ignoranter celebravit quia licèt excusetur, tamen quoad extenuandam gravitatem delicti, non quoad tollendum delictum ex toto. In *1. alleg.* Lap. videtur loqui de excommunicatione lata pro culpis futuris, in 2. verò pro culpis præteritis.

16 Extra præscriptos casus, etsi qui sint alii, non debet quis excommunicari nisi monitione præmissa, & monitio debet esse trina, vel una pro omnibus cum aliquot diebus competentibus intervallis, ut est determinatum in cap. *Constitutionem*,

§ *Statuimus infra eod. tit. lib. 6.* & hic notant Butr. *num. 20.* & Felin. *num. 1.* ad hoc cap. *De illiciat, 24. q. 3.* practicam ponit Covarr. in cap. *Alma mater, hoc tit. lib. 6. par. 1. prælect.* §. *9. num. 5.* videlicet, moneo te ad hoc faciendum, vel non faciendum infra quindecim dies, quorũ quinque pro prima, quinque pro secunda, & reliquos quinque pro tertia monitione assignamus.

17 Cæterũ si monitio præmittatur, non propterea excommunicatio redditur nulla nisi in casu cap. *Statuimus infra eod. lib. 6.* videlicet cum excommunicatio fertur in participantes cum excommunicato, & ita intelligas glos. 2 *hic in fin.* ibi (Non tenet sententia, si admonitio non præcedat) ut *hic* declarat Felin. *num. 2* post Io. Andr. & alios per eum allegatos, quibus addo Feder. de Sen. *d. cons. 11. Quæritur an excommunicatio, num. 1. & 7. vers. Et per hoc tolluntur*, & alii in responsione ipsius Federic. *ioi num. 10.* quibus in locis firmat excommunicationem latam non præmissa trina monitione non esse nullam, sed injustam, & ideo timendam; quod etiam tenent Domini de Rota *decis. 7. num. 1. de sent. excomm. in novis.* Hactenus de injustitia excommunicationis ex causa, ex animo, & ex ordine in terminis juris communis.

18 Sed de jure novissimo Concilii Tridentini hæc tria non sufficiunt, sed requiritur ut excommunicatio in subsidium feratur: nam Sancta Synodus animadvertens excommunicationis gladium si temerè, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, præcepit omnibus judicibus ecclesiasticis, ut in causis civilibus abstineant se à censuris, ubi executio realis, vel personalis propria auctoritate ab ipsis fieri poterit: quod si hujusmodi executio non possit fieri, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathemate arbitrio suo ferire possit. Sed & in causis criminalibus ita demum censuris uti liceat, si executioni reali, vel personali facilè locus esse non possit, & delicti qualitas præcedente bina saltem monitione etiam per edictum id postulet, ut in *c. 3. sess. 25. de reformat.*

19 Ex hoc contextu collige primò tria requisita ad hoc, ut quis possit justè excommunicari. Primum est, ut præcedat monitio saltem bina, & ita hac in parte recedit à dispositione juris communis, quod regulariter trinam requirebat, vel unam pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, ut
20 ostensum est supra *num. 6. & 16.* Item ex Concilio sufficit monitio etiam per edictum; cum tamen de jure veteri debeat fieri personaliter, ut determinat Innoc. in cap. *Si adversarius, num. 1. vers. Est enim semper citandus, supra de eo, qui mitt. in poss. caus. re. servan.* Rota *decis. 28. numero 5. de appell. in antiq.* nisi in quatuor casibus. Primus, quan-
21 do excommunicatus latitat, vel in fraudem se absentat, Rota *in novis decis. 11. in fin. de dol. & contum.* Secundus, quando semel fuit citatus personaliter, ut in *decis. unica de feriis in novis.* Tertius, quando monitio, vel citatio ad domum pervenit ad notitiam citati. Quartus, quando fuit malè absolutus, & agitur de reincidentia, Rota *decis. 7. de sent. excomm. in novis*, Covar. in cap. *Alma mater, in 1. par. relect.* §. *9. numero 4. hoc tit. lib. 6.*

22 Secundum requisitum, quod eligitur ex Concilio in d. *cap. 3. sess. 25.* ad hoc ut quis possit justè excommunicari pro causa civili, est contumacia, ut patet ibi, sitque contra judicem contumacia, veluti si peremptoriè citatus coram judice renuit comparere, de justitia responsurus: vel quia jussus, ut infra talem diem centum Titio solveret, ad quæ illi ex causa depositi tenebatur, facere recusavit, ut declarat glos. in cap. *Cum medicinalis, in verb. Causam, de senten excomm. lib. 6.* quod & jure veteri sancitum erat, ut cap. *Nemo, il secondo, 11. qu. 3.* cap. *De illicita, 24. q. 3.* & dictum est supra *num. 3. & 12.* Et in causis criminalibus præter
23 contumaciam exigitur, ut delicti qualitas id postulet, & meritò, quia pœna excommunicationis nulla est major in Ecclesia, cap. *Corripiantur. 24. qu. 3. & qu. 1.* cap. *Non affirmamus.* Illa enim separat à corpore Christi, quod est Ecclesia, cap. *penulti infra eod.* & cap. *Engeltrudam, qu 4.* glos. *hic in verb. Tantum infligere pœnam*, & ideo non infligitur nisi pro culpa mortali cum contumacia, dicto cap. *Nemo, il secondo, 11. qu. 3.* Capella Tholosan. *decis. 298.*

25 Tertium requisitum est ut censura in subsidiũ feratur, scilicet ubi fieri non potest executio realis, vel personalis sive causæ sint civiles, sive criminales, quod jure communi cautum non erat, quin potius ordine inverso primò utendum erat gladio excommunicationis, eoque non proficiente in subsidium deveniendum erat ad capturã, seu personalem districtionem, ut cap. *Odoardus*, & ibi Abb. *in 1 & 2. notab. de salutation.* dixi in cap. *Licet, num. 22. de pœnit.*

26 Verumtamen Sacra Congregatio ejusdem Cõcilii Interpres consulta, an excommunicationes latæ ab Episcopo non servata forma cap. *3. sess. 25. de reform.* sint ipso jure nullæ, vel invalidæ, respõdit esse validas, & excommunicatum indigere absolutione, per ea quæ tradit Abb. post glos. in c. *1. de excess. Prælat.* & Felin. in cap. *Rodulphus, n. 76. de rescript.* excommunicationem latam sine citatione, vel monitione, vel ejus ordine non servato tenere, quamvis injusta sit.

27 Deinde collige ex præcitato cap. *3* §. *Sane, sess. 25* excommunicationis materiam, & illius cognitionem ad ecclesiasticos judices pertinere privativè ad judices laicos: ad idem cap. *Corripiantur*, cum glos. *1. 24. q 3.* cap. *Cum ab Ecclesiarum*, ubi etiã glos. *1. supra de offic. Ordin.* nam excommunicatio mucro episcopi dicitur, gladius ecclesiasticus, spiritualis defensio & nervus ecclesiasticæ disciplinæ, cap. *Visis, 16. q 2* & cap *Dilecto, de sent. excom. lib. 6* cujusque usum fuisse in Ecclesia, & temporibus Apostolorum patet ex verb. *Matth. 28. Si autem*
28 *Ecclesiam non audierit, &c.* & *1. ad Corin. 5.* cujus
29 etiam meminit Cyprianus in hæc verba (Interfici jussit Deus Sacerdotibus suis non obtemperantes judicibus à se ad tempus constitutis obedientes; & tunc quidem gladio occidi debent, quando & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles servos Dei coegit spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur: neque enim vivere foris possunt, cùm domus Dei una sit. & nemini salus nisi in Ecclesia esse possit) Hæc
30 ille. Quamobrem Sancta Synodus ne magistratus sæculares ex eo decreto ansam arriperent sibi aliquam jurisdictionem vindicandi in materia excommunicationis providè statuit per hæc formalia verba (Nefas autem sit) idest ut Drosæus ait in methodo juris, impium, & execrabile, de

quo

quo ne fari quidem liceat (sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet sub prætextu, quod contenta in præsenti Decreto non sint observata, cùm non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat) Hæc ibi.

13 Sed nihilominus cùm in Curia Parlamenti Dolensis relatum esset à Regis Secretario, quod Cõcil. Tridentini decretis interdictus, & prohibitus erat usus gladii excommunicationis pro contumacia, & executione sententiarum ecclesiasticarũ quotiescumq; executio realis, vel personalis fieri possit, & quod ejus Majestas, ut tam sancto Decreto effectum daret, voluerat ut omnes sententiæ ecclesiasticorũ judicum, quæ ipso jure deberent exequutioni mandari, non obstante appellatione, suspendantur, donec obtentum sit mandatum in Curia dicti Parlamenti, in qua declarabitur an sit locus executioni reali, vel personali. Prohibuit Senatus Curiæ, ne aliqui se censuris non servata dicta forma lacesserent sub pœnis, &c. Sacra Cõgregatio Concilii censuit hoc Decretum covellere jurisdictionem ecclesiasticã contra Canones
35 veteres, contra Concilium, quod dedit hoc arbitrium Episcopis, contra Bullam Cœnæ Domini, quæ eos excommunicat, qui quomodolibet impediunt jurisdictionem ecclesiasticã: Regem autẽ, vel Senatum non potuisse sibi quicquam jurisdictionis vindicare in materia excommunicationis. Si qui autem in ea abusus irrepserint, debuisse, consulere Pontificem, ad quem solum spectat tollere eos: ideo Cardinales Vrsinus, & Senonensis censuerunt mittendum Nuncium ad Regem: cæteri verò ne detegatur hoc negocium, & aliis de causis scribendum ad Nuncium ut alloquatur Regẽ cum informatione plena, quæ à Congregatione firmabitur, in qua adducantur rationes, quod hoc est contra Canones, contra Bullam Cœnæ Domini, contra servitium Dei, salutem illarum animarum, contra publicam utilitatẽ illius provinciæ, contra etiam privatum interesse ipsius Regis, quia hac via ei subtrahitur obedientia Regni, quia Hugonotti nihil aliud affectant, quàm evertere potestatem Episcoporum Catholicorũ. Ideoque instet omninò, & jubeat revocari hoc edictum, & aboleri, & abradi de libris, in quibus scriptum est: quod si rex se difficilẽ ostendens, dicat expressè, Sanctissimum si viderit Regem non providisse, coactum iri exercere potestatem spiritualem contra Senatum Dolensem.

Rationes autem, quibus mota est Congregatio separatim sunt adnotatæ manu Cardinalis Alciati, in hanc formam.

32 (Tota materia excommunicationis est solius judicis ecclesiastici, cap. *Corripiantur* ubi glos. *24. qu. 3.* & cap. *Cum ab Ecclesiarum*, ubi glos. *de offic. Ordin.* Abb. *in rubr. de sent. excomm. n. 3.* & quando excommunicatio minus ritè, rectève lata est ab ipso judice ecclesiastico, ad solum Superiorem ecclesiasticum pertinet hos errores corrigere, cap. *Per tuas*, cap. *Sacro, de sent. excomm.* ubi Abb.
33 Idque præcipuè dicendum si facta sit contra formam Decretorum Concilii, quorum observandorum cura mandata est tantùm Episcopis, & aliis Prælatis ecclesiasticis: Reges autem, & alii Principes tantùm sunt moniti, ut ad ea exequẽda Prælatis, cùm opus fuerit, auxilio suo adsint; & si quid in hoc difficultatis emerserit, consulendus est Summus Romanus Pontifex, ut Decreto ejusdem Concilii sancitum est *sess. 25. tit. de recip. & observand.* Præterea Concilium *d. cap. 3.* dicit, quod si executio realis, vel personalis hac ratione, idest propria auctoritate, & per proprios executores à judicibus ecclesiasticis fieri non poterit, tunc anathemate ferire possunt: Ergò non hæc forma, & modo, quo sententiæ Regiæ. Item, hæc cognitio, & jurisdictio data est ab eodem Concilio judicibus ecclesiasticis, etiam contra laicos, ut legitur d cap. 3 ibi (Liceat eis in causis civilibus ad forum ecclesiasticum contra quoscunque etiam laicos) unde hæc manifesta est usurpatio ecclesiasticæ jurisdictionis, propter quam utur pantes incurrunt excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ Domini, ut per summa Angel. *in verb. Excommunicatio V. casu 28.*

34 QVÆRO, An si judex velit excommunicare contumaces ex cap. *3. sess. 25* Trident. Concil. sit necessarium, ut constet ex actis realem, vel personalem executionem fieri non posse, an verò sufficiat id extra judicium liquere.

Excommunicatio, quæ est pœnarum gravissima, c. *Corripiantur, 24. q. 3.* à Synodo d. c. *3. vers. Liceat.* tunc demum à judice ferri permittitur in contumaces, cùm nulla alia illis remedia prosunt: nec enim sæviora sunt adhibenda, cùm leviora sufficiunt, S. Thom. *in 4. dist. nũc. 18.* Tabiena in *verb. Excommunicatio 1. n. 3. vers. Vtrum excommunicatio possit infligi*: itaque si posset adversus reos fieri realis, vel personalis executio, non esset deveniendum ad excommunicationem, ut in *d cap. 3. vers. Quod si executio*: non esse autem locum reali, vel personali executioni, videtur necessarium, ut constet ex actis, ad hoc ut judex ritè adhibere valeat excommunicationis remedium.

36 Primò enim judex ex seipso nihil judicare debet, sed ex auditis, visisque apud acta judiciorum ut colligitur ex cap. *Iudicet, 3. quæst. 7.* & sententiam ferre tenetur ex allegatis in judicio, & probatis, quæ sibi ut judici nota sunt, non autem ex his, quæ privatim, & extra judicium cognovit, glos. in cap. *1. de off. Ordin. in verb. secundum quod Canones*, Bart. in l. *1. num. 4. C. Vt qua def. advoc. partium iud. sup.* Feder de Sen. *cons. 21. Numquid hæres, num. 2.* Covarr. *lib. 1. variar. resol. cap. 1. nu. 1.* & scripsi plenius in cap. *Canonum statuta, à nu. 52. supra de Constit.*

37 Secundò etiam notoria, quæ nulla indigent probatione, c. *De manifesta, 2. q. 1* cap. *Evidentia, de accusat.* l. *1. ff. de in integr. rest.* tamen debet constare judici ut judici ex actis esse notoria, Felin. in cap. *Pastoralis, n. 23. vers. Limita primò de off. Ordin.* ergo longè magis debebit constare judicialiter non posse fieri realem, vel personalem executionem, ut judex possit devenire ad censuras.

38 Tertiò ubicumq; non licet procedere ad actũ, nisi aliqua præcedant, constare debet illa præcessisse, ut actus geri validè possit, nec statur assertioni agentis, sicut probat Alex. *cons. 101. num. 8. vol. 1.* ubi ait non stari assertioni Principis alicujus bona ob rebellionem publicantis, nisi de rebellione, vel causã ingratitudinis constet: cùm enim præcedere debeat causa, ob quam uti rebellis cõdemnetur, non creditur Principi de causa, nisi aliter constet, quàm per ejus assertionem, ut not. DD in l. *si forte, ff. de Cler. pec.* Itaque cum judex in casu

nostro

nostro ad censuras procedere non possit, nisi cùm locus nō fuerit reali, vel personali executioni cō-
39 sequitur debere id cōstare in judicio legitimè, nec ejus assertioni esse quoad hoc fidem adhibendā.

Quartò hanc opinionem confirmant verba d. cap. 3. in quo excommunicationes illæ, quæ ad finē revelationis decernūtur penitus relinquūtur arbitrio judicis. At in causis judicialibus vult omnia remedia tentari, nec nisi in subsidiū ad cēsuras aditum patere, unde colligitur nō sat habuisse Patres, ut extra judicii sciret judex cætera remedia nō prodesse: nam potuissent etiā in hoc judicis arbitrium tribuere sicut in superiori fecerunt.

40 Et ita in tribunali Auditoris Cameræ usu obtinuit: nec enim ibi aliter decernuntur censuræ, quam si ex legitimis probationibus apud acta cōstet non esse locū reali, vel personali executioni.

Quare proposito dubio, an si judex deficientibus cæteris remediis velit excommunicare contumaces ex decreto cap. 3. *sess.* 25. *ver. Quod si executio*, necessarium sit, ut ex actis constet realem, vel personalem executionem fieri non posse; an verò sufficiat hoc extra judiciū liquere: Sac Cōgregatio censuit non sufficere, sed necessarium esse, ut constet exactis per relationem Nuncii.

41 Secundò Quæro, si duo sint insolidum obligati in forma Cameræ pro eodem debito, & contra unum tantùm possit deveniri ad executionem realem, vel personalem, an contra alterum, adversus quem non potest fieri executio realis, vel personalis, possint ad instantiam creditoris in subsidium relaxari censuræ.

42 Præmittendum est, Primò post Conciliū Trid. & reformationem Pii V. practicam in obligationibus Cameralibus, de qua per Galef. *ad 2. par. q. 3. fol. 8.* secundum parvam impressionem abolitam esse: Nam prius debitor confitebatur debitum coram judice, & judex ex tunc condemnabat eū ad solvendum creditori, & consentiente debitora ferebat excommunicationem sub conditione nisi satisfaceret in termino, & tunc elapso termino erat excomunicatus sine alia monitione. Hodie juxta reformationem Pii V. judex præsenti, & se obliganti præcipit, ut die certa solvat, monens si ea die sponte non solverit, nulla exinde facta personali citatione ad executionem contra ipsum procedet, & in subsidium ubi executio realis, vel personalis facile fieri non poterit, in ipsum tanquam contumacem, contemptoremq; sui præcepti excommunicationem decernet, ut in Bullā *113.* Pii V incip. *Inter illa*, in Bullar. *tom. 2. pag. 318.* unde infertur, ut etiamsi susceptio censurarum validè processerit coram judice competenti, non propterea censeatur ulla irrogata excōmunicatio, sed dumtaxat præstitus consensus excommunicationi ferendæ.

Deinde præmittendum secundum formam antiquam non esse locum quæstioni, quia cùm supponatur lata sententia excommunicationis, solū superest ejus publicatio ad effectum, ut excommunicatus evitetur secundum ea, quæ ponit Ga-
43 lef. ubi suprà de processu ipso *fol. 251. cum seq.* qua ratione Sac Cōgregatio Concilii declaravit cum pensionariis non esse necessariò servandā diligētiam quam requirit Concil. c. *3 sess 25.* hi enim vigore clausulæ in litteris Apostolicis inserte elapso termino sententiā excomunicationis incurrūt, nec agitur amplius de illis excommunicandis, sed tantum de declaratoria in eos ferenda.

Tertiò, Præmittendum stante susceptione cen-
44 surarum, præcepto, & monitione secundum stylum hodiernum, censuras non esse relaxandas, ubicumque ex mente Concilii d. *cap. 3.* executio realis, vel personalis fieri potest. Siquidem reformatio obligationis Cameralis ab ipso Concilii decreto manavit; ac proinde excommunicatio in subsidium decernitur, & adhuc ipsius judicis arbitrio relinquitur per Concil. d. c. *3. in vers. Quod si executio.* ibi (Tunc etiam anathematis mucrone arbitrio suo præter alias pœnas ferire poterit juncta l. *Non quicquid, de iudic.*

His præmissis censuras de rigore relaxari posse in reum contra quem executio realis, vel personalis fieri non potest, etiamsi alter reus similiter in solidum obligatus solvendo sit, & contra eum executio facilis sit, videtur suaderi posse ex infrascriptis.

Primò, quia quando duo sunt obligati insolidum, sunt etiam duæ principales obligationes paris potestatis, l. *Si reus*, & l *Eadem in fine*, *de duob. reis*, nec una dependet ab altera: Ergo concurrentibus in unum requisitis à Concilio, & secundum formam obligationis, censurarum relaxatio fieri poterit contra eundem. Requisita à Concilio adsunt, quia supponitur contra eum executionem fieri non posse. Item adest debitum, obligatio Cameræ, præceptum iudicis, & monitio contra ipsum facta, necnon ipsius contumacia. Quare si pœna delicti tenere debet authorem, l. *Sanctimus. Cod.*
45 *de pœnis*, excommunicatio huic debita est ponderando pronomen *ipsum* in dict. *cap. 3* appositum, quod est personalissimum, & demonstrativum ad oculum, ut Bald ait *in cons. 304. Nobilis vir. n. 1. in fin. vol 5* Soccin iun. *cons. 144. n. 14. vol. 3.*

46 Secundò ubi sunt plures rei ereditor potest exigere debitum à quo voluerit, l. *2. Cod. de duob. reis*, nec auferenda ei est hæc electio, l. *Exprimere*, *eodem tit.* At auferretur, si omissa via censurarum contra unum, teneretur invitus alium excutere ergo, &c.

47 Tertiò ipse reus conventus utpote principalis non potest opponere exceptionē discussionis, ut correus conveniatur, Alex. *cons. 32. num. 12. vol. 4.* Gabr. *comm. cons. lib. 3 de fideiuss concl. 7. n. 84. & n. 99. & concl. 2. in fin.* Ergo neque judex.

Quibus tamen non obstantibus æquius videtur, & proprius ad mentem Concilii, ut quandiu alter correus solvendo est, & contra eum executio fieri potest, abstineat judex à censuris contra alterum. Primò, quia cum re inspecta una tantùm sit obligatio correorum, l. *3 §. ubi duo eod. tit. & actio*, quæ ex obligatione oritur, sit jus prosequēdi quod sibi debetur; *inst. de action. in prin.* sufficere debet creditori, ut à quocunque sibi obligato debitum consequi possit; ut ab actione subsidiaria; quæ ultimum affert præsidium, excludatur, arg. §. *Secundum instit. de satisd. tutor.* Ergo similiter judex abstinebit à Censuris, quæ dumtaxat in subsidium decernuntur etiam in vim obligationis Cameralis.

48 Confirmatur, quia acceptio plurium reorum est remedium provisum ab homine, & excommunicatio est remedium juris: Ergo quandiu potest esse locus remedio ordinario, non est confugiendum ad extraordinarium. Bart, in l. *3. in prin. de nov. oper. nunciat.*

Secundò

49 Secundò, antequam ad carcerationem debitoris perveniatur, excutiendus est etiam fidejussor Roman. *cons. 320. in princ.* ergo antequam innodetur vinculo excomunicationis unus reus, alte-
50 rius rei facultates excutiendæ erunt. Facit quia Confidejussoris facultates aggregatæ censentur, quando quæritur, an solvendo sit principalis fidejussor, l. *Si plures §. Præterea, de fideiussor.* juncto, quod ubi sunt duo correi, partes quoque à singulis peti possunt, quemadmodum à reo, & à fidejussore, l *3. de duobus reis.*

Tertiò, Per Concilium quandocumque in una causa potest aliter fieri executio contra reos, à cēsuris abstinendum est, d. cap. *3 §. In causis verò.* At quando pro eodem debito duo sunt obligati in solidum, una causa est, & una obligatio: ergo non potest non iniquum videri, ut uno sustinente censuras, nihilominus fiat, seu fieri possit pro eodem debito executio contra alterum.

Non obstat quod videatur auferri electio creditori, & quodammodo id, quod inductum est in ejus favorem, in odium retorqueatur, quatenus
51 cogitur exigere ab eo, à quo forte nollet. Quia advertendum est provisionem, seu pactum hominis non esse causam hujus excommunicationis, sed contumaciam, & delictum spreti præcepti judicis, ad tradita per DD. in cap. P. *G. de off. deleg.*
52 & declarat Galef. *in 2. par. q. 3. fol. 83.* unde judex denegando hoc casu excommunicationem suum non tuum tibi denegat auxilium, juxta dictum glossæ in l. *Sive apud acta in verb. Pacto, C. de transact.* tex. in l. *Ex asse ff. ad Trebellian* Non obstat
53 quod ipse reus non potest opponere hujusmodi exceptionem, quia judex supplet ex officio suo, prout sæpe facere debet, maximè ubi vertitur periculum animarum ad notata per Abbatem in cap. *In litteris in princ. de restit. spoliat.* Non obstat quod Concilium in verbis nihil disponat expresè hoc casu, quia satis ostendit in sua ratione quid observandum & quanta cum circumspectione hoc remedio utendum sit, cui concordat forma obligationis, secundum quam ad censuras non devenitur, nisi in subsidium, & ita resolutum, ut in subjecta declaratione videlicet. Præsupposito quod sint duo insolidū obligati in forma Cameræ pro eodem debito, & quod contra unum tantùm possit deveniri ad executionem realem, vel personalem: An contra alterum, contra quem non potest fieri executio realis vel personalis, possint ad instantiam creditoris in subsidium relaxari censuræ: Sac. Congregatio censuit non posse.

54 Quæ decisio videtur intelligenda juxta novissimam formulam obligationis in forma Cameræ præscriptam Constitutione Pii V. secundum quam non irrogantur censuræ nisi in subsidium. Quod si obligatio cōtineret præceptum de solvendo sub pœna excommunicationis ipso jure juxta antiquā formulam, secus esset, ut declaratur ex sequenti decisione, edita tempore Cardinalis Alciati.

55 Cum Titius, & Mævius essent obligati insolidū, & in forma Cameræ ad solvēdum Sempronio certam pecuniarum quantitatem, & Titius solvendo non esset, Sempronius contra eum ad censuras procedere volebat. Sed cùm Mævius dives Sempronio satisfacere posset, fuit dubitatum an Concil. *3. sess. 25. in causis*, obstaret Sempronio, ut contra Titiū ad censuras procedere non posset ex eo, quod poterat sibi à Mævio correo satisfieri,

Cum visum esset Instrumentum obligationis, in quo erat clausula, quod lapso termino incurrat excommunicationem, ut in pensionariis: Sac. Cōgregatio dixit, quod si ex instrumento obligationis in forma Cameræ, vel ex actu judiciario susceptionis censurarum appareat, quod validè, & ab habente potestatem fuerit jam irrogata excōmunicatio, ita ut nunc non agatur de irroganda excommunicatione, sed de declarandi tantùm, jam irrogatam fuisse legitimè; sicque fit declaratio excommunicationis jam incursæ: non intrare tunc decretum Concilii. Quod si nulla excommunicatio facta jam appareat, tunc intrare Concilium, & locum habere, ut scilicet nō imponatur excommunicatio Titio, si aliunde potest creditor suum consequi, adjiciendum erit, quod etiam susceptio censurarum valida fuisset, non tamen est excommunicatio facta, sed solum præstitus cōsensus excommunicationi faciendæ à judice: & ideo si nōdum fecit judex, & creditori possit aliūde satisfieri, debebit abstinere, & ita elicitur ex praxi, quæ servatur in susceptione censurarum, ut fiat per mensem diligentia, si aliunde, &c. & postea relaxatur mandatum.

56 Tertiò, QVAERO, an *cap. 3. sess. 25* Trid. Cōcilii, vers. In Causis procedat in pensionariis vigore literarum Apostolicarum, quibus inserta sunt illa verba, elapso termino, sententiam excommunicationis incurrat.

57 Ad hoc dubium Sac. Congregatio respondit, non procedere, quia cum verb. *Incurrat*, importet excommunicationem ipso jure, Tiraquell *in l. Si unquam in vers. Revertatur. num. 145. & 146. C. de revocandis donationibus* lata jam à Papa sententia, Auditor Cameræ, & quilibet alius inferior non potest non exequi sententiam, & licèt Concilium dicat in procedendo, intelligitur quando judex ex se procederet, non quando Papa jam excommunicavit.

58 Quartò, QVAERO, Posita decisione Sacræ Congregationis, qua declaratum fuit jus decernendi excommunicationes, quæ pro rebus deperditis, vel subtractis ferri solent quoad subditos Abbatis exempti, & jurisdictionem quasi Episcopalem habentis non pertinere ad Episcopum, sed adeundam esse Sedem Apostolicam.

59 An hæc decisio procedat in casu, quo Abbas habeat quidem jurisdictionem quasi Episcopalem in certa parte diœcesis, sed appellationes ab eo ad Episcopum interponantur.

60 Videtur respondendum non procedere: nam inferior Episcopo potest habere jurisdictionē in certa parte diœcesis duplici modo, prout nulla jurisdictio penes Episcopum remaneat neque actu, neque habitu, ut si sit exemptus, & immediatè subjectus Papæ quo casū data negligentia, vel impotentia ipius, non succedit in jurisdictione Episcopus, sed Papa Abbas in c. *Grave ad finem* per illum tex. *de off. Ordin.* Felin. in cap. *Irrefragabili, in princ. vers. Declarat prædicta, eodem tit.* Et hoc
61 casu proprie procedit decisio Cōgregationis: nam cùm Concilium ademerit inferioribus jus decernendi hujusmodi excommunicationes, in casu impotentiæ illorum non debet succedere Episcopus nullam habens in eorum subditos jurisdictionem neque in actu, neque in habitu, sed
62 Papa, qui est judex ordinarius exemptorum, Doctores in cap. *Si Papa, eod. tit.* & libr. glos. in cap.

Auctō-

Auctoritate, in verb. Sedis Apostolicæ, de privil. lib. 6.

Secundo modo inferior potest habere jurisdictionem actu, itaut habitu remaneat penes Episcopum, ut puta per privilegium, quod tribuat huic inferiori jurisdictionem, sed eum non subjiciat immediatè Papæ, vel si hic inferior nō habeat privilegium, sed per præscriptionem acquisiverit jurisdictionem in certa parte diœcesis, quo casu non potest eam ita præscripsisse, ut constituat caput in eadem diœcesis parte, cùm una diœcesis nō possit habere duo capita, sed ita potuit acquisivisse, ut ipse sit sub Episcopo, & Episcopus habeat 63 universalem jurisdictionem habitu, secundum opinionem Host & Ant. de Butr. in c. *Cum contingat, de foro competen.* quam ibi sequuntur Abb. *n.18.* Felin. dicto c. *Irrefragabili, in prim.* Balb. *de præscript. in 1. part. 5. partis prin. qu. 11, n. 9* Rota *decis. 114. n. 1. & 2.* In hoc secundo casu cùm Concilium ademerit hujusmodi inferiori jus decernendi excōmunicationes ad effectum revelationis, illud videtur pertinere ad Episcopum, & non esse necesse adire Sedem Apostolicam: nam hoc casu jurisdictio habitualis, quæ est penes Episcopum operatur ut cum inferioribus vel non vult, vel non potest exercere jurisdictionem, in ea Episcopus succedat, 64 & habitus reducatur ad actum, Abb. d. c. *Cum contingat, n. 12.* & in cap. *Cæterum, num. 5. de judiciis*, Balb *ubi supra*, Nos versamur in secundo casu, quo jurisdictio habitualis est penes Episcopum, quia ut in dubio supponitur ab inferiori habente jurisdictionem in certa parte diœcesis ad Episcopum appellatur, qui recensetur à DD. inter alios effectus jurisdictionis habitualis apud Episcopum remanentis, ut per Abb. in dicto cap. *Cum contingat, n. 1.* Felin & Balb. in locis suprà citatis, & ex consequenti adempta ei per Concilium jurisdictione hujusmodi excommunicationes decernendi in illo jure Episcopus succedit.

De Sentent. excom.

Cap. Cum voluntate.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatum alloquens in hiis, quæ pertinent ad salutem, etiamsi alia verba interponat, excommunicatus non est, & n. 8.*

2 *Prædicatores, præsertim qui aliter sustentari non possunt, ab excommunicatis, & detinentibus aliena possunt eleemosynam recipere, & n. 12.*

3 *Voluntate, & proposito maleficia distinguuntur.*

4 *Meretricem ancillam alienam recipiens furti non tenetur.*

5 *In delictis primaria causa surgit à voluntate, & ab anima rationali.*

6 *Maleficia an transcendant animum, & voluntatem.*

7 *Furtum æris, non auri committit, qui æs surripuit putans aurum surripere.*

9 *Pœnam statuti participantis cum bannito non tenetur, qui cum eo participat, ut ad satisfactionem induceat.*

10 *Excommunicato an liceat communicare, in spectantibus ad salutem corporis.*

11 *Et quid in oratione, mensa, & cohabitatione.*

12 *Excommunicatum alloquens conversionis causa an possit verba interserere, quæ ad absolutionem non faciunt.*

13 *Prædicatoribus an liceat absque necessitate eleemosynam recipere ab excommunicatis, & detentoribus rerum alienarum, & numero seq. usque ad num. 27.*

14 *Eleemosynas cur liceat recipere ab excommunicatis & furibus, non autem oblattones.*

15 *Viatores, & peregrini an in terra excommunicatorum possint ab ipsis aliquid recipere.*

16 *Dictio, præsertim, quid importet, & n. seq.*

17 *Intellectus huius cap. 1. & num. seq. usque ad num. 24.*

18 *Necessitas excusat à furto, & rapina.*

19 *Necessitati tempore omnia sunt communia, præsertim cibaria.*

20 *Prædicatores qui intelligantur quoad hoc ut possint accipere eleemosynam ab excommunicatis, & detinentibus aliena.*

21 *Et cur liceat eis huiusmodi eleemosynas recipere.*

22 *Negotium sufficit ab initio fuisse utiliter cœptum, licèt res effectum non habeat.*

23 *Negotiorum gestores vivere debent sumptibus eorum, quorum negotia utiliter gerunt.*

24 *Eleemosyna licite potest recipi ab excommunicatis, & peccatoribus etiam notoriis de rebus licitè acquisitis.*

25 *Eleemosynam de rebus restitutioni obnoxiis recipere non possunt non habentes officium prædicandi, nisi ob necessitatem famis.*

26 *Et quid in habentibus officium prædicandi.*

27 *Confessori an liceat aliquid accipere à pœnitente ex iniuste acquisitis, & n. seq.*

28 *Simoniæ suspicione non caret accipiens pecuniam etiam sponte oblatam in actu administrationis sacramenti.*

29 *Clericum percutiens quibus casibus in excommunicationem non incidat, & n. seqq.*

30 *Prælatis & magistris licet subditos, & scholares etiam in sacris Ordinibus constitutos leviter percutere sine incursu excommunicationis.*

31 *Intellectus huius cap. in §. Si qui verò.*

32 *Membra honorabiliora exceptis gravioribus culpis non sunt verberibus subjicienda.*

33 *Magister maiorem habet potestatem in discipulum, quam pater in filium.*

34 *Pater percutiens filium in sacris constitutum incidit in sententiam canonis.*

35 *Ordo facit an ius patriæ potestatis solvat, remissivè.*

1 CUM VOLVNTATE. Alloquens excommunicatum in his, quæ pertinent ad salutem, etiamsi alia verba interponat, excommunicatus non est. Hoc dicit 2 primò Prædicatores, præsertim qui aliter sustentari non possunt, ab excommunicatis, & detinentibus aliena eleemosynam recipere possunt. Hoc secundò. Tertiò ponit quosdā casus, quibus percutiens Clericum excommunicatus non est. Divisio patet per paragraphos. Secunda ibi, *Prædicatores*, Tertia ibi, *Si qui verò.*

Nota primò ex principio litteræ insignem regulam in materia maleficiorum, videlicet ex voluntate, & proposito delinquentis maleficia qualificari, & distingui, ut hic, & in l *Qui iniuria causa, in princip*, unde hæc regula desumpta est, *ff. de furt*, con-

concordant tex. in l *1. ff. ad l. Cornel. de sicariis*, ibi, Crimen enim contrahitur si & voluntas nocendi intercedit, & in l. eum qui duas, *ff. ad l. Sul. de adult.* ibi (in ea namque re non juris effectus, sed animi destinatio cogitatur) & in l. *Rerum, ff. de furt.* 4 ubi qui meretricem alienam ancillam rapuit furti non tenetur, quia non factum quæritur, sed causa faciendi: causa autem faciendi libido fuit, non furtum: unde ut notabiliter hic dicebat Anton. de Butr. *n. 3.* In delicto primaria causa surgit 5 à voluntate, & ab anima rationali; & sic consideratur voluntas in delictis, etiam prout temporaliter puniuntur, non autem simplex, & rude factū: ad hoc § *Contra animum, cum tex. capp. sequentibus 50. distin.* cap. *Si virgo*, & cap *In lectum, 34 quæst. 2.* 6 Ex his videtur inferri posse, ut maleficia voluntatem, & propositum non transcendant. Sed contra 7 dicunt text. in l *Vulgaris* §. *Si quis æs, ff. de furt.* ubi qui æs surripuit putans aurum surripere, committit furtum non auri, quod surripere intendit, sed æris, quod re ipsa surripuit: & sic spectatur opus, non animus, & in l. *Qui saccum. ff. eod.* & in cap. *Qui saccum, 50. distinct.* ubi qui saccum surripuit habentem pecuniā, furti actione tenetur, etiam pro sacco, quamvis non sit ei animus saccum subripiendi, in l. *Quoniam multa facinora, C. ad l. Iuliam, de vi publ.* & in cap. *Is qui mandat. de homicid. lib. 6.* ubi mandanti aliquem verberari secuta mors imputatur, licèt expressè inhibuerit ne occideretur. Pro solutione vide hic plenè per Henr. Boich. *post princip.* ubi quærens an, & quando in delictis aliquis ultra propositum teneatur, ponit prolixam distinctionem, & materiam luculenter examinat ferè per tres columnas.

8 Secundò nota specialem casum, in quo communicans excommunicato in excommunicationem etiam minorem non incidit, videlicet cùm eum alloquitur conversionis causa, etiamsi alia verba incidentia interferat, ut hic est casus, & docet D. Thomas in *4. sentent. dist. 18. qu. 2. art. 4. in corpore* dicens Ecclesiam instituisse excommunicationem non ad interitum, sed ad medelam; ac proinde de his, quæ pertinent ad salutem, posse hominem licitè loqui cum excommunicato, & etiam alia verba interserere, ut faciliùs salutis verba ex familiaritate recipiantur.

9 Hinc inferunt Anton. de Butrio, Abb. & Felin. omnes in *secundo notab.* ut si statuto caveatur ut participans cum bannito certam pœnam incurrat: qui cum eo participat ut inducat ad satisfactionem, in pœnam statuti non incidat: quod etiam firmat idem Butr. in cap. *Si aliquando, n. 5. supra eod.*

10 QUÆRO, cùm liceat excommunicato communicare in his, quæ pertinent ad salutem animæ, ut hic dicitur, & in c. *Responso supra eod.* quid in pertinentibus ad salutem corporis.

Videtur respondendum non licere, quia cùm hæc littera de uno concedat, à contrario videtur de alio negare, cap. *Disciplina, 45. dist.* c. *Per Esaiam 1. qu. 1.* cap. *Quisitis., 33. qu. 5.* glos. in cap. *Qualu, in ver. Negatur, 25. dist.* cùm præsertim infirmitas corporis sæpè proveniat ex infirmitate animæ, cap. *Cum infirmitas, supra de pœnit. & remiss.* & ita concludunt Doctores, & in specie Card. *n. 1.* sed hoc intelligit Ioan. Andr. *n. 1. in ver. Salutem animæ*, & Anchar. *num. 2. in secundo notab.* verum esse in eo, qui negligit, vel contemnit, ut in dicto cap *Cum infirmitas*, aliàs secus.

11 Item QVÆRO, cùm hic permittatur participatio cum excommunicato in locutione, quid in oratione, mensa, & aliis, de quibus in cap. *Nuper, supra eod.*

Dic secus, imò & in locutione caveat participans à cohabitatione, cap. *Omnis, 24. q. 1. c. Cum desideres* §. *in fin. supra eod.* secundum Hostien. & Ioan. Andr. *hic n. 2 in verb. Locutione*, & Card. *n. 1.* Quid autem juris sit in scriptione, & salutatione, dic ut scripsi in cap. *Si aliquando, à nu. 16. usque ad finem, supra eod.* Hodie tamen in his servari debet Constitutio Concilii Constantiensis, de qua infra sub *n. 24. vers. Sed hodie.*

12 Item QUÆRO, cùm textus dicat in locutione cum excommunicato in pertinentibus ad salutem posse etiam incidenter alia verba interponi, quæ dicantur hujusmodi verba incidentia.

Innoc. *hic in princip.* exponit incidentia, idest quæ nec ad absolutionem, nec ad salutem faciunt, Sed Host. *num. 2. in ver. Incidenter hoc temperat*, intelligens verba incidentia, quæ ad absolutionem, & salutem non faciunt principaliter, sed tamen inducunt, ut si quærat de uxore, & liberis, & præmittat dilectionem, quam habuit erga illum, & ejus genus, & his similia. Et hoc videtur magis congruere litteræ, quæ admittit interpositionem verborum incidentium, ut alloquens apud eum magis proficiat. Et sic videtur requirere, ut verba hujusmodi aliquo modo ejus saluti conducant, licèt non principaliter, & cum Host. transeunt Ioan. Andr. *num. 2. in eodem verb* Henr Boich. *col. 4. in princ. vers. Aut quæru utrum possit cum eo participare in locutione*, Anton. de Butr. *num. 11.* & Card. *num. 2.*

13 Tertiò nota in § *Prædicatores*, ab excommunicatis, & detentoribus rerum alienarum licitum esse Prædicatoribus eleemosynam recipere: quod procedit de plano si Prædicatores in loco aliàs sustentari non possint.

Sed QVÆRO num eis hoc liceat cessante necessitate.

Negant glos. *in verb Præsertim*, Innoc. *num. 2.* Hostien. *num. 1.* Ioan Andr. *num. 8. in glos.* præsertim Butr. *num. 5.* Card *in hoc* §. *num. 2 vers. Nota de dictione præsertim*, Abb. *in 3. notab.* & *num. 6.* & Felin. *in 3. notab.*

Pro hac sententia glos. allegat cap. *Oblationes*, & cap. *Quia in omnibus, supra de usur.* ad idem text. in cap. *Non est putanda, 1. q. 1*, ubi Gregor. adducit illud *Proverb. 22. Hostia impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.*

14 Sed hæc jura non admodum urgent, quia non loquuntur de eleemosynis, sed de oblationibus, quæ à tam malis, & famosis personis non sunt recipiendæ, ut notatur in cap. *Ex transmissa, supra de decim.* secundum Innoc. *hic nu. 1. vers. Oblationes autem*, cum quo transeunt Host. Io. Andr. Henric. Boich & reliqui omnes. Ratio autem differentiæ cur eleemosynæ recipiantur à perfidis, non autem oblationes, ea est secundum Innoc. & Doctores, quia oblationes fiunt in Ecclesia, in & publico, quæ prohibentur ne exinde peccator consolationem suscipiat, neve peccatum ipsius videatur Ecclesia publicè approbare: sed eleemosynæ fiunt in occulto, de quo nihil ad Ecclesiā, cap. *Sicut tuis, in fin. de simon.* Et quamvis nonnunquam etiam eleemosyna fiat palam, nihilominus hoc est per acci-

accidens, nec propterea mutatur jus, de quo hic, quia semper natura eleemosynæ consideranda est, quæ fieri debet clam, secundum Host *nu. 3. vers. Et quid dices si eleemosynæ fiat in publico*, & Henric. Boich. *col. 4 circa med. vers. Idem tamen est.*

15 Pro eadem sententia videtur magis urgere c. *Quoniam, multos, 11. qu. 3.* ibi (Quicumque orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus) Ex quibus verbis liquet ita demum licere aliquod ab excommunicatis recipere, si subsit necessitas: ad idem textus in cap. *Inter alia*, §. *fin. supra eod.* ubi viatores, peregrini, & mercatores tenentur à communione excommunicatorum abstinere nisi articulus necessitatis immineat.

16 Et tenendo hanc partem non obstat dictio, *præsertim*, hic posita, quia secundum glos. exponitur idest maximè, & referri debet ad verbum *Prædicatores*, itaut sit sensus, tempore necessitatis omnes possunt recipere eleemosynam ab excommunicatis, præsertim Prædicatores: & hoc modo glos. concordat cum Innoc. & habuit bonum intellectum, licèt fuerit malè posita, ut dicunt Butr. *num. 17.* & Abb. *num. 6.* vel certè secundum Innoc. dictio, *præsertim*, exponi debet, idest tantum; quia Prædicatores non debent recipere eleemosynam à talibus, nisi quando aliter sustentari non possunt. Adde non esse novum ut hæc dictio ponatur pro *tantùm*, ut patet in cap. *Discretionem, supra de eo qui cogn. consang. uxor. suæ*, in cap. *Licet, de foro competen.* & in l. *fin. ff. de iu, quæ in testam. delen.* & notat Calder. *cons. 542. aliàs 3. de verbor. significat.*

17 Sed his non obstantibus contrariam opinionem, videlicet Prædicatores posse eleemosynam recipere ab excommunicatis, & detinentibus aliena, etiam cessante necessitate, efficaciter judicio meo probat hæc Decretalis non cavillando litteratè. Primò in illis verbis (eleemosynas licitè possunt ab illis recipere, præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere: ponderanda est enim dictio *præsertim*, quæ importat idem esse si possint habere sustentationem, cùm ex sui natura sit ampliativa casus magis dubitabilis, cap. *Ex litteris, il secondo*, & ibi glos. *fin. sup. de homicid.* cap. *Illud*, ubi gloss. *in ver. præsertim, de præsumptione*, l. *Quod & lex*, juncta glos. *in eod. ver. ff. de lib. hom. exhib.* & notat Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de teste*, §. *1. vers. Item excipitur quod est impubes*, ibi, *sed nunquid fratres*: unde sensus est, Prædicatores eleemosynã ab illis recipere generaliter, & indistinctè, sed multò magis si in loco non valeant sustentationem habere.

18 Deinde si hæc litera intelligeretur tantummodo in defectum necessariæ sustentationis, frustra restringeretur ad Prædicatores, quia eo casu non tantùm Prædicatoribus, sed cuilibet permittitur accipere eleemosynam à detentoribus rerum alienarum; quinimò & rapere, quia necessitas excusat à furto, & rapina, cap. *Discipulos*, & ibi glos. *fin.* & cap. *Quidquid enim, de consecr. distinct. 5.* & cap. *Si quis, supra de furto.* Et est ratio, quia tempore

19 necessitatis omnia sunt communia, cap. *Sicut hi, 45. distinct.* & maximè cibaria, l. *2. §. Cum in eadem navi, in fine ff. ad leg. Rhod. de iact.* & notat glos. præalleg. in d. cap. *Discipulos*, & gloss. *unica* in d. cap. *Si quis*, & tamen Innoc. *numero 2.* dicit quod hic statuitur esse speciale in Prædicatoribus ob rationem, de qua infra in quarto fundamento, *num. 21.*

20 Tertiò quamvis hoc cap loquatur simpliciter de Prædicatoribus, & audientibus confessiones, tamen Doctores illud restringunt ad eos, qui prædicant, & confessiones audiunt ex officio, & sic ad Præsbyteros Curatos, quibus unusquisq; proprius Parochianus tenetur confiteri, c. *Omnis, de pœnit. & remiss.* Rursus hoc intelliguat de Vicariis Papæ, sicut sunt legati, arg. c. *supra de officio legati*, cap *fin. 23. dist.* cap. *24. dist.* & de Episcopis visitantibus, vel eorum vicariis ad hoc missis, c. *Inter cætera, supra de offic. Ordin.* Ac demum de fratribus Prædicatoribus, vel Minoribus, qui habent universale officium prædicandi, & à Papa sunt approbati, ut in Clem. *dudum, de sepul.* & in extravag. *Vas electionis, de hæret.* quinimò pro ipsis edita fuit hæc Constitutio, ut putat Host. *hic num. 2. in ver. Vel confessionibus*, & post eum Ioan Andr. *n. 3. in eod. ver.* Butr. *n. 12.* & plerique alii.

At hujusmodi restrictiones inepta essent, si hæc littera intelligeretur tantummodo in defectum necessariæ sustentationis; quia eo casu nedum sacerdotibus curatis, & aliis prædictis, sed cuilibet licitum est hujusmodi eleemosynas accipere, ut supra proximè ostensum est.

21 Quartò, dum tex. determinat licere Prædicatoribus ab excommunicatis, & detinentibus alienas res eleemosynam recipere, fundat se in ratione illa, quia in prædicationibus, & confessionibus quasi gerunt causam, vel curam eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, videlicet secundum Host. *n. 2.* & Io. Andr. *n. 3* quia in prædicationibus ostendunt res alienas ab eis illicitè occupari, & detineri, ac nisi restituant, pœnas æternas eis comminantur: & in confessionibus dicunt peccatum non remitti nisi restituatur ablatum, cap. *Si res aliena, 14. qu. 6.* cap *Cum tu, §. 1. supra de usur.* quasi dicat: quamvis à detentoribus rerum alienarum non liceat eleemosynam recipere in detrimentũ eorum, ad quos res ipsæ noscuntur pertinere, tamen quia Prædicatores, & Cõfessores suadet occupantibus illarum restitutionem; idcirco æquum estut de iisdem rebus recipiant eleemosynã, quasi mercedem, & stipendium laborum, cùm gerant negocium eis utile: & hoc considerat glos. *4. hic*, & Host *nu. 2. in verb. Quasi gerant*: dicunt enim Prædicatores hujusmodi posse accipere eleemosynas quasi negociorum gestores, quia illi, quorum res aguntur, licitè ab occupatoribus sua recipere possunt. Et sic isti Prædicatores licitè ea recipiunt

22 pro eleemosynis: & quamvis res non habeat effectum, sufficit ut ab initio negocium sit utiliter cœptum, l. *Sed an ultro, §. is autem qui, ff. de negot. gestor.* potest agere ad sumptus, quos fecerit, ut

23 ibi dicitur. Idem notat Innoc. *circa finem* dicens hoc casu Prædicatores, cùm sint negociorum gestores, posse vivere de rebus eorum, quorum negocia gerunt: subdit tamen in hoc eos agere contra jus civile, secundum quod non debent propria auctoritate recipere ut l. *Extat. ff. quod met. caus.* Item quia non possunt hoc agere contradicente spoliato, ut l. *ult. C. de negot. gest.* Supradicta autem ratio, in qua tex. se fundat & considerationes Doctorum aperte demonstrant Prædicatores posse hujusmodi eleemosynas recipere etiamsi aliunde habeant

habeant sustentationem, quia non deben vivere de proprio, sed sumptibus eorum, quorum negotia utiliter gerunt.

Et hanc sententiam satis clarè amplectitur Ant de Butr. *hic n. 17.* exponendo glos. *verb. Præsertim*, ait enim (Glossa dicit optimè, nam si subest necessitas, licitum est recipere Prædicatoribus, & non Prædicatoribus: si non subest neces-

24 sitas, est licitum Prædicatoribus, non aliis) Concludendo distingue. Aut quæritur an liceat eleemosynam accipere ab excommunicatis, & peccatoribus de rebus licitè acquisitis, aut de illicitè acquisitis, & restitutioni obnoxiis

Primò casu non tantùm Prædicatores, sed etiã quicunque accipere possunt eleemosynam ab excommunicatis, & peccatoribus quantumcumque notoriis: nam ad eas tenentur omnes c. *Non satis, in fin. 86. dist* & sunt omnibus maximè suadendæ, ut ad pœnitentiam meriantur citius pervenire, cap. *Deinde, 26. dist.* secundum Innoc. *hic num. 1.* Host. *num. 2. in ver. Eleemosynas*, Henr. Boich. *col. 4. super*, §. *Prædicatores, vers. Si quæris utrum ab excommunicatis*, & Card. *num 2* licèt Host *infr. numero 5* dicat nihil esse recipiendum ab excommunicato, nec cum eo comunicandum in aliquo, nisi in casu à jure concesso, ut legitur, & notatur in cap. *Si verè, respons.* & cap. *Cum desideres, §. in fin. supr. eod.* & cum eo concordat Raymun. *hoc titulo §. Trig. simo nono super ver. Nomine ipsius*, dicens non licere accipere eleemosynam ab excommunicatis, nisi in casibus excepris, scilicet in casu necessitatis, & similibus, quod tamen non credit esse restringendum ad extemam necessitatem, sed sufficere ad excusationem ut indigeat, & non possit commodè, & de facili habere necessaria aliunde. Et idem recitat Ioannes Friburg. *in summ. confess. hoc tit. quæst. 117.* incipien. QUÆRO *An liceat, &c.* & Asten, *lib 7. tit. de personis communic. cum excommun. art. 5 in princ.*

Sed hodie cessant hujusmodi ambages, quia ex constitutione edita à Martino V. in Conc. Constantien. quæ incipit, *Ad evitanda*, licitum est cuilibet participare cum excommunicatis, non tantùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, & Sacramentorum administrationibus, præterquam in duobus casibus, videlicet cum excomunicati sunt publicè denunciati, aut notorii clericorum percussores, ut scripsi latissimè in cap. *1. infra de schismat.* Unde ad hos casus dumtaxat hodie restringuntur Doctorum opiniones.

25 In secundò autem casu scilicet cùm res sunt illicitè acquisitæ, & restitutioni obnoxiæ. Aut quæritur de non habentibus officium prædicandi, & istis non licet de prædictis rebus eleemosynam accipere, nisi ob necessitatem fامis juxta textum in cap. *Discipulos, de consecr. dist. 5.* & patet ex dictis supra *num. 18. & sequ.* de quo vide plenius per Henr. Boich. in cap. *Pervenit, dist. 1. vers. Aut quæritur de iniustè, & illicitè supra de decimis*, & in

26 cap. *Ex eo, §. Cum igitur de pœnit. & remiss.* Aut quæritur de habentibus officium prædicandi, de quibus loquitur hoc capitulum Et isti si aliunde non habeant sustentationem, absque dubio possunt eleemosynam accipere etiam de illicitè acquisitis, ut hic est casus, & in hoc conveniunt omnes. Si verò aliunde sustentationem habeant, tunc sunt opiniones, Innoc. *num. 1.* dicit eleemosynas nominatim non esse recipiendas de illicitè quæsitis, & exponit verbum *Præsertim*, idest *tantùm*, & hoc est tutiùs secundum Host, & alios supra *cit. n. 3.* Contrarium tamen videtur verius in puncto juris, ut constat ex dictis *à num. 17.*

27 Quartò nota in eod. §. *Prædicatores*, secundum Abb. *in 4. notab.* Sacerdotem licitè recipere aliquid eleemosynæ à pœnitente, etiam si illud sit injustè quæsitum, & subjectum restitutioni. Hoc ego intelligo cum duobus temperamentis. Primum est ut sacerdos aliàs non valeat in eo loco sustentationem habere, prout intelligit Felin. *ver. Item nota quod audiens in confessione.* Et hoc si sequamur opinionem Innoc. de qua in præcedenti notabilinam hæc littera sub ead. clausula determinat Prædicatores, & Confessores. Sed de Prædicatoribus intelligitur in casu necessitatis tantùm, secundũ Innoc. Ergo & in Confessoribus, ut utrũque determinabile uniformiter determinet, ad

28 l. *Iam hoc iure, §. fin. ff. de vulgar. & pupillar.* & l. *final. Cod. de sent.* cum similibus. Alterum est ut hujusmodi eleemosynam accipiat extra Sacramentum pœnitentiæ, alioquin si illam reciperet in ipso actu audiendi confessionem, non careret suspicione simoniæ, arg. cap. *Constitutus de transact.* & l. *Vna, a, ff. ad l. Iul. de ambitu* Opus enim per se laudabile ratione temporis reprobatur, ne malignandi occasionem præbeat, Ideoque quamvis opus pietatis sit nummos in concham mittere pro sustentatione ministrorum, & manutentione luminarium Ecclesiæ; tamen id reprobatur tempore, quo baptizandus offertur, ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur, ut dicit tex. in cap. *Emandari, 1. quæst. 1.* præsumitur enim simonia, ut ibi notat glos. 1. Hugo, Archid. & Doctores, & secundum communem intellectum habet locum ille tex. etiam in his, quæ spontè offeruntur, quia in ipsa collatione Sacramenti nec spontè oblatum licet accipere.

29 Ultimò nota in §. *Si qui verò* sex casus, in quibus percutiens clericum non incurrit sententiam Canonis, quos præstringit glos. *in ver. De familia*, & ut à cum aliis pluribus continentur in sequentibus carminibus positis ab Host *num. 12.* videlicet *Officium*, ut hic in textu, & in cap. *Vniversitatis*, §. *laici*, & cap. *3. respons. 1. & §. 1 supra eodem* & *Zelusque*, ut *hic* & in cap. *Veniens supra eodem* & est simile in l. *Apud Labeonem, §. Adijcit, ff. de iniur. Pater, Doctorumque Propinquus*, de quibus similiter probatur hic. *Affectus* scilicet *matris, filiæ, sororis, & uxoris*, cap. *Si verò, supra eod.* & *inf. §. fin. Dominus* familiam corrigens, ut hic *Vis*, hic casus respicit inferentem vim *cap. 3. §. Si verò. supra eod* & enormitatibus se immiscentem, cap. *Perpendimus*, & cap. *Cum non ab homine, supra eod.* Et *correctio*, hic casus respicit levitatem reprehensibilem clericorum, & omnes casus qui ipsos incorrigibiles reddunt trina motione præmissa, cap. *Contingit*, & cap. *In audientia, supra eod. ludus*, supra cap. *1. §. 1. in fin. Quisque sit exceptus*, scilicet à pœna canonis. *Si sit moderamine septus*, idest nisi sit enormis excessus, & nisi in defendendo excedatur modus. Ita Host. qui eosdem casus latius explicat in summ. *hoc tit. §. quibus possit sic. §. Super illo autem canone*, & eum totidem verbis sequuntur hic Io. Andr. *n. 8.* Butr. *n. 23.* Cardin. in hoc §. *Si qui vero, n. 3.* Alios versus posuit Abbas Antiquus, quos recitat Io. Andr. *circa finem.*